

se fert. Propterea inquisitioni de eorundem in Bosna et Herzegovina introductione et charactere hierarchico praemittere debemus brevem considerationem de hujusmodi instituto in genere. Inde autem adjuti historicis documentis ac juridicis principiis non erit nobis difficile determinare locum, quem Vicarii Apostolici bosnenses in hierarchia regiminis Ecclesiae occupant.

a) De introductione et charactere regiminis Vicariorum Apostolicorum in B. et H.

Usque ad saeculum XVII in tota Ecclesia catholica unica forma fundamentalis organisationis erat illa dioecesum cum proprio episcopo ordinario. Hic de jure et, si casus exceptionales eximantur, etiam de facto in propria dioecesi residebat eamque ordinaria et propria potestate regebat.⁹ In casibus, quando episcopus ipse non residentiam servabat, loco sui alium administratorem seu coadjutorem nominabat;¹⁰ vel etiam, inde a saeculo XIII, administratores seu Vicarii Apostolici occurrunt. Tales nempe a Romanis Pontificibus instituebantur in aliquibus dioecesibus vel sede vacante, ne dioecesis sine pastore detrimentum patiatur; vel sede plena, attamen episcopo non residente sive amoto vel propter aliud motivum impedito.¹¹

Initio autem saeculi XVII, praesertim ab erectione S. C. de Propaganda fide, penes hoc vetus systema orta est et nova organisationis forma, scilicet Vicariorum Apostolicorum cum charactere episcopali et titulo alicujus veteris se-

rum dominio remanserat. Etenim, post dictam unionem a. 1735 cum Hungaria factam bosnenses conventus intra totam provinciam propriam custodiam constituebant, quae a. 1757 in definitiva separatione Fratrum in partibus Slavoniae et Hungariae in custodiam independentem seu regiminis erecta fuit, quaeque statim anno sequenti, reclamantibus fratribus bosnensibus, a Clemente XIV in provinciam S. Crucis Bosnae Argentinae restituta fuit cum omnibus praeminentiis et juribus. Ab Occhievia, o. c. 23 sq. Jelenić, Izvori, 28 n. 22, 32 n. 24.

⁹ Grentrup Th., Zur Geschichte und Ernennung der Apostolischen Vicare, Zeitschrift für Missionswissenschaft, XVI (1926) 110.

¹⁰ Albers P., Manuale di storia ecclesiastica, vers. ital. P. S. Berrardo, II, Torino 1928, 96.

¹¹ Grentrup, o. c. 110; Vromant G., Jus missionariorum, II, Louvain 1929, 54; Ferraris L., Bibliotheca canonica... VII, Romae